



Theologiæ Sacramentalis Scholasticæ Et Moralis Pars ...

Ad Mentem Doctoris Subtilis Ioannis Duns Scoti D. Augustino conformen

In qua tractatur de Virtute ac Sacrameto Pœnitentiæ

Bosco, Jean a

Lovanii, 1670

Concl. II. Jure divino confitendæ sunt circumstantiæ, peccatorum speciem,
aut numerum mutantes; non ita certum est, quôd oporteat consiteri
circumstantias solûm aggravantes.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73393](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73393)

Si contra hoc obicitur; quia tunc videtur, quod quilibet peccator tenetur cuilibet requirenti dicere omnia peccata sua, aliquando tacendo ea, vel aliquid eorum, esset hypocrita, quia ostendit se innocentem, quam si respondeo, quod tacendo, cui non debet dicere, non ostendo me innocentem in his, quae taceo; sed illi, cui dicere debet; & quando dicere debet, & quomodo; sicut in Confessione tacendo aliquid, confitendo aliud, ostendo me innocentem in hoc, quod taceo, & in hoc est hypocrisis, non in alio casu. Hucusque Doctor Subtilis 4. dist. 17. n. 19.

In quibus verbis accuratissime meminit obligationis praemittendi diligentem inquisitionem, quam non semel inculcat Concilium Trid. locis supra allegatis. Nec mirum; quia qui tenetur ad finem, etiam tenetur ad media necessaria fini consequendo; qui ergo obligatur integrè confiteri, obligatur ad diligens examen conscientiae, sine quo non potest integrè confiteri.

Potest non requiri exactissimam diligentiam & extraordinariam; videlicet anticipationem Confessionis, descriptionem peccatorum in charta, & similia, etsi aliquando sit periculum oblivionis plurium peccatorum, patet ex communi sensu & praxi fidelium. Sufficit ergo diligens inquisitio secundum possibilitatem fragilitatis humanae, id est, talis inquisitio, per quam Sacramentum Penitentiae non reddatur nimis grave & onerosum; vel, tanta inquisitio, quantum (ut loquitur Scotus) possit aliquis apponere circa aliquid multum arduum, quod sibi multum esset cordi, quoniam Sacramentum res ardua est; & cum sit necessarium ad salutem, sicut ipsa salus debet penitentem multum esse cordi, ita & istud Sacramentum. Prudentis igitur opus est, ne penitens vel nimis leviter se examinet, vel nimium se vexet, etiam subinde cum periculo leaionis sanitatis corporalis, aut turbationis cerebri.

Unde non sequitur; si penitens adhuc unà hora examinaret seipsum, inveniret adhuc aliqua peccata; ergo tenetur adhuc unà hora se examinare; dummodo tamen praemisisset molestem diligentiam majorem vel minorem, pro ratione temporis lapsi ab ultima Confessione, multitudinem peccatorum; & sui ipsius capacitate; nam minus homo barbarus, & qui primum conversus est ad fidem, seipsum potest examinare, quam aliquis, qui semper Catholicè vixit; minus rusticus, quam homo civilis; & agrotus, quam sanus; minus qui habet plura peccata, quam qui pauca; isti enim esset difficillimum examen circa omnia in particulari, huic autem facillimum.

Et hinc praetextu insufficientis examinis non sunt facile remittendi simplices & rudes, sed potius à Confessariis adjuvandi, dummodo aliquem saltem diligentiam juxta suam capacitatem praemisissent; nam saepe ab illis non potest plus expectari, & quamvis remittantur,

aeque imparari redibunt; eosque ordinariè Confessarius mediocri labore melius juvabit, quam ipsi seiplos longo examine; potissimum quando indigent Confessione generali, aut multorum annorum, ob praecedentes Confessiones irritas, ut experientia docet. Omitto periculum nunquam postea revertendi, non sine magno animarum damno.

His praenotatis de examine conscientiae, pergo ad illa, quae Scotus docet de circumstantiis peccatorum; neque enim earum demerent, sed quid de eis faciendum sit, disertis verbis explicavit supra n. 20. dicens: Nec solum peccatum, sed circumstantias peccatorum notabiliter aggravantes includit dictum praecceptum, iuxta illud Augusti. Prius consideret qualitatem criminis in loco, in tempore, in perseverantia, in qualitate personae &c.

Quaeris à me, quas Doctor Subtilis vocet circumstantias notabiliter aggravantes? Audi quae sequuntur: Saltem illas dico aggravantes, & necessario confitendas, quae speciali prohibitione prohibentur; verbi gratia alienum accipere est illicitum, sed speciali prohibitione prohibetur accipi de loco sancto, & ideo speciale peccatum, scilicet sacrilegium, per hanc circumstantiam constituitur.

Similiter est illicitum non suam agnoscere, sed si quae propinqua sit, speciali prohibitione prohibetur; & ideo speciale peccatum scilicet incestus per hanc circumstantiam constituitur. Frequentia etiam non est dubium, quod est circumstantia simpliciter ponens aliud peccatum, quia qualibet vice committitur novum peccatum, & de similibus simile habeatur iudicium.

Ergo per circumstantias notabiliter aggravantes; quae necessario confitendae sunt, intelligit Scotus circumstantias mutantes speciem; aut numerum peccatorum; breviter, docet confitendae esse peccata non in genere dumtaxat, sed potius in specie, & sigillatim, id est, speciem & numerum peccatorum.

Multe autem (prosequitur Doctor) sunt circumstantiae, ex quibus peccatum est aliquo modo gravius, & hoc vel ex parte obiecti, vel ex parte personae peccantis, de quibus non est ista certum, quod oporteat illas confiteri tamen tunc & utile est hoc fieri. De aliis vero, quae nihil ad B. putà sine quae esset tanta gravitas, quam cum illa circumstantia impertinente, fatuum est confiteri, utpote si aliquis peccat cum aliqua, quae vocatur Bestia vel Lucia & huiusmodi. Sit itaque

CONCLUSIO II.

Iure divino confitendae sunt circumstantiae, peccatorum speciem, aut munerum mutantes; non ita certum est, quod oporteat

teat confiteri circumstantias solum aggravantes.

19. Prima pars est certa inter Catholicos.

De prima parte non est controversia inter Doctores Catholicos, & eam satis superque probatam arbitror, & confirmatam Conclusionem præcedenti, ad eam ut de veritate eius non sit relictus locus dubitandi, nisi illis, qui non credunt Definitionibus Ecclesiæ Catholicæ; & ideo quæcumque ignorant, blasphemant; quæcumque autem naturaliter, tamquam muta animalia norunt, in his corrumpuntur: hæreticos intelligo, qui equidem species peccatorum optime norunt, & pro dolor in his læpissime corrumpuntur; ignorant autem, aut certe ignorare se fingunt, necessitatem integræ Confessionis, & ideo eam blasphemant, tamquam impossibilem & carnificinam conscientiarum.

Prov. 15.

Sed possibile esse, & conscientiarum maximam consolationem, testatur perpetua praxis Ecclesiæ, & uniuscujusque penitentis conscientia, quæ secura redditur per Absolutionem de remissione suorum peccatorum; dicit autem Sapiens Proverb. 15. v. 15. *Secura mens quasi iuge convivium.*

20. Integra Confessio quamvis difficilis, tamen possibilis est. Conc. Trid. sess. 14.

Hinc Trid. sess. 14. c. 5. *Ipsa vero huiusmodi Confessionis difficultas, ac peccata detegendi veracundia, gravis quidem videri possit, nisi tot tantisque commodis, & consolationibus levaretur, quæ omnibus, digne ad hoc Sacramentum accedentibus, per Absolutionem certissime conferuntur.* Fatetur Concilium difficultatem, sed negat impossibilitatem; quia videlicet solum requiritur, ut patet ex dictis concl. præcedenti, & ibidem docet, ut ea peccata, & illas circumstantias confiteamur, quæ, post diligens secundum fragilitatem humanam examen, memoriæ occurrunt.

21. Quid sit circumstantia?

Unde existimo multos excusari à Confessione circumstantiarum defectu notitiæ; nam in praxi difficillimum est ostendere in particulari, quæ sint circumstantiæ mutantes speciem, & numerum peccatorum, ut patet ex contrariis opinionibus DD. his asserentibus, illis negantibus huiusmodi mutationem, de quo puncto infra latius. In præfati Sectione de circumstantiis in communi tractabimus.

Est autem circumstantia accidens quoddam, seu conditio actus peccaminosi, ad eius substantiam seu essentiam specificam non pertinens, aliquo modo tamen attingens seu immutans illam. Dicitur circumstantia; quia circumstat actum in suo esse specifico constitutum. Accidens appellatur; quia actui peccaminoso, considerato secundum suum esse specificum, est quasi accidentarium, quod actus in individuo habeat tantam vel talem malitiam; v. g. magna quantitas rei furtivæ pertinet quidem ad substantiam illius furti in individuo, non tamen ad substantiam eius in specie,

& hâc ratione dicitur accidens & circumstantia; veluti hæc ceitas est extra essentiam specificam, licet intrâ essentiam individualem.

Similiter contrectationi rei alienæ invito domino (in quo absolvitur esse specificum furti) accidere potest, quod ea rei sit facta, vel sacro loco ad tutelam commissa. Item copula carnali cum non sua (quæ est totum esse specificum fornicationis) accidere potest, quod non sua sit etiam aliena, religiosa &c. Item magna intensio actus, longa duratio actus &c.

Et quidem si illa accidentia sint specialiter prohibita, licet sub peccato mortali, licet prohibetur acceptio rei sacre, vel loco sacro ad tutelam commissa; item copula carnalis cum aliena, religiosa &c. vocantur circumstantiæ mutantes speciem peccati; id est, superaddentes novam speciem peccati mortali, v. g. sacrilegii, adulterii, &c. nulli tamen Catholicorum ambigit, eas in Confessione fore explicandas. Eadem est ratio illarum circumstantiarum, quæ variant speciem, non superaddendo, sed auferendo aliquam speciem; v. g. si quis occidit hominem Clericum, sciens esse hominem, invincibiliter tamen ignorans esse Clericum; illa enim ignorantia excusat seu tollit malitiam sacrilegii, & ideo explicanda.

Sin autem illa accidentia solida sint prohibita sub peccato veniali; sicut certum est peccata venialia non esse confitenda; eadem profectò certitudine constat illas circumstantiæ, tamen si mutant speciem peccati, non esse necessariò confitendas; v. g. si fornicationis aut furti adveniat circumstantia mendaciæ, aut vanæ gloriæ &c. Atque à fortiori non sunt explicandæ circumstantiæ, quæ licet mutant speciem peccati in esse physico, sed in esse morali; ut si quis furatus est denariis, vel sinistra manu, si hominem occiderit lapide, vel jaculo &c.

Aliæ sunt circumstantiæ, quæ licet non mutant speciem, mutant tamen numerum, id est, superaddunt novum peccatum ejusdem speciei; talis circumstantia secundum Scotum supra est frequentia, quam alii appellant, circumstantiam *Quoties*, quæ non minus explicanda est in Confessione, quam circumstantia mutans speciem; quando agitur de peccatis mortalibus. Patet ex Trid. sess. 14. c. 5. *ubi si in genere dumtaxat, & non potius in specu, ut sigillatim sua ipsi peccata declarassent.* Non declaratur autem sua peccata sigillatim, qui recitat frequentiam, aut circumstantiam *Quoties*.

Felix de Actib. c. 3. diff. 2. n. 4. *Quoties*, inquit, non est circumstantia, sed dicit numerum peccatorum, qui necessariò est in Confessione manifestandus; nam circumstantia est conditio unius actus in singulari, & numerus non reperitur in illo actu. Hæc ille.

Sed quæstio est de nomine, & Scotus expressissimè frequentiam vocat circumstantiam.

nec mirum; quia secundus actus accedit actui primo, in suo esse specifico constituto, & tertius accedit primo & secundo, & sic consequenter: cur ergo non debeat dici circumstantia? Nam secundum illum Auctorem supra n. 3. Circumstantia est, quae circumstat actum humanum in suo esse specifico constituto, sive haec circumstantia sit actus, sive non. Ergo unus actus potest esse circumstantia alterius. Quidquid sit de voce, rem teneo, scilicet obligationem confitendi numerum, & per consequens omne illud, quod est necessarium ad numerum exprimendum.

Venio ad circumstantias, peccatum minuentes, vel aggravantes intra eandem speciem; de quibus praecipua est difficultas, an debeant explicari in Confessione. Tales circumstantiae sunt, intentio aut remissio in actu interno odii, longa aut brevis duratio. Adde potest, magna aut parva quantitas rei furtivae. Non loquor hic de magna, aut parva quantitate, quae ex veniali peccato constituit peccatum mortale, aut ex mortali veniale; illa enim potius est circumstantia mutans speciem, si non physicam, saltem moralem, id est, transferens peccatum veniale in mortale, vel vice versa, mortale in veniale. Loquor ergo de illa quantitate, illa intentione, & duratione, quae actum, alioquin mortaliter peccaminolum, augent aut minuunt in ratione peccati mortalis ejusdem speciei, & numeri.

Et verò quantum ad circumstantias minuentes, communior sententiae sunt, eas non esse explicandas in Confessione, quidquid sit de notabiliter aggravantibus. Ratio est; quia non invenitur illa explicatio praecipua, nec forte conveniebat praecipui, cum potius videatur servire ad excusationem, quam accusationem. Circumstantias alleviantes confiteri inquit Doctor Seraphicus 4. dist. 17. p. 3. a. 2. q. 3. in corp. non est bonum, nisi propter hoc, ut satisfiat alicui inquisitioni, vel ut provideatur eius scandalo & perturbationi, utpote si timeret Confessorem ex hoc accipere occasionem ad malum, vel si etiam tantum diminuat, ut sit in genere venialis; sicut comedere carnes in Quadragesima propter infirmitatem, ita tamen quod a licere non sit gula aliqua. Et ratio huius est, quia in Confessione non debet peccator se excusare, sed accusare. Haec ille.

Aliam rationem assignat Suarez disp. 22. sect. 3. n. 16. (ubi sequitur sententiam Divi Bonaventurae) quia, inquit, ubi diminutio tanta non est, ut impediatur malitiam mortalem in tali specie, non existimo esse circumstantiam notabiliter minuentem, aut sufficientem ad multum variandum morale iudicium. Quod sic patet; quia actus peccati simpliciter dictus, indicat, quemdam ordinarium modum peccandi; in quo potest esse aliqua latitudo, in qua includitur omnis modus peccandi, cum qua-

cumque ex his circumstantiis, & ideo licitum est Sacerdoti totum illum modum apprehendere, & secundum illum iudicare.

Sed haec ratio non placet Arriaga, nam (inquit disp. 32. n. 6.) si cogerer metu gravissimi morum suppliciorum, & mortis ad me inebriandum, esset non excusare à peccato, non esset tamen illa circumstantia intra ordinarium modum peccandi, nec de illa diminutione posset Sacerdoti, nullo alio dato fundamento, quidquam occurrere.

Unde hic Auctor, qui cum Suarío docet, circumstantias notabiliter aggravantes intra eandem speciem esse necessario confitendas, magis consequenter asserit, etiam notabiliter minuentes (nam de illis, quae paululum minuunt vel aggravant, non est quaestio inter DD. sed omnes supponunt, eas non esse explicandas) esse necessario confitendas; adeoque poenitentem teneri dicere, se ob illam causam inebriatum; & idem, inquit, est, si simili tentatione superatus, aliud quodcumque peccatum commisissem. Interim existimat illas circumstantias notabiliter minuentes esse rarissimas, & vix habere locum, nisi in uno aut altero casu raro.

Ego autem, magis consequenter ad oppositam sententiam de circumstantiis aggravantibus, statim explicandam, iudico, illam causam ebrietatis non esse necessario confitendam, ex hypothesi, quod ebrietas cum illa circumstantia fuerit peccatum mortale ejusdem speciei, cum ebrietate plane voluntaria. Quamvis enim iudex majorem aliquam gravitatem concipiat, quam à parte rei fuerit, nullum tamen inde grave incommodum sequitur in hoc iudicio; & si quod est in impositione majoris Poenitentiae, totum hoc, ut patet, cedit in praerudicium seu gravamen ipsius poenitentis, qui potest cedere juri suo, & erit utile ad majorem satisfactionem; quemadmodum sect. praeced. concl. 7. argumentabamur de illo, qui non explicat, peccatum prius directè fuisse absolutum, quamvis videat, Confessarium illud apprehendere, tanquam prius non directè absolutum, & majorem imponere Poenitentiam, quam alioquin imponeret.

Et sane, si circumstantiae, notabiliter aggravantes, non sunt necessario confitendae; pari immo majori, ratione non erunt confitendae circumstantiae, notabiliter minuentes. An autem priores circumstantiae sint necessario confitendae, incertum est, propter multitudinem, & gravitatem DD. pro utraque parte, ut proinde verissime dixerit Scotus 4. dist. 17. n. 20. Non est ita certum, quod oporteat illas confiteri (sic ut certum est, quod oporteat confiteri circumstantias mutantes speciem) tamen tutum, & utile est id fieri.

Sed nunquid ideo Scotus magis inclinat in partem affirmativam? Ita existimat Suarez *Supra*

27. que non placet Arriaga.

28. Sententia Auctoris.

29. Incertum est, an circumstantiae notabiliter aggravantes sint confitendae.

Scotus.

Supra

suprà n. 5. Sed est mera conjectura. Quamvis enim fuisset magis inclivatus in partem negativam, haud equidem debuisset eam absolute asserere, sed satis erat eam insinuasse; noluit autem absolute asserere, propter multitudinem DD. in contrarium, & quia, ut addit, *ritum & utile est hujusmodi circumstantias confiteri, esto probabilis foret, non esse obligationem.*

Quidquid sit de mente Scoti, aut ejus inclinatione, partem negativam, scilicet circumstantias solum notabiliter aggravantes non esse necessario confitendas probabilior vocat Doctor Angelicus S. Thomas 4. dist. 16. q. 3. a. 2. ibi: *Ad quintam quaestionem dicendum, quod omnes circumstantias confiteri est impossibile, quasdam autem confiteri est necessitatis: sed in hoc est differentia opinionis. Quidam enim dicunt, quod omnes circumstantias, quae aliquam notabilem quantitatem peccato addunt, confiteri necessitatis est, si memoria occurrant. Alii vero dicunt, quod non sint de necessitate confitende, nisi circumstantiae, quae ad aliud genus peccati trahunt: & hoc probabiliter est; sed addendum est, quae ad aliam speciem mortalis trahunt, cuius ratio est, quod venialia non sunt de necessitate Confessionis, sed solum mortalia, quae quantitatem infinitam quodammodo habent. Et quia circumstantiae aggravantes, quae aliam speciem peccato non tribuunt, vel quae tribuunt quidem, sed non mortalis peccati, non sunt de necessitate Confessionis: tamen eadem confiteri perfectionis est, sicut & de venialibus dictum est.*

Consimili modo loquitur Doctor Seraphicus S. Bonaventura supra, cujus verba hic subscribo: *De circumstantiis autem quae aggravant, si genus peccati non mutatum est, est inter DD. opinio diversa. Quidam enim dicunt, quod poenitentes teneantur confiteri; sed quia praecipuum affirmativum est, ideo obligat non ad semper, sed pro loco & tempore, scilicet quando eam cognoscit sive per se, sive per inquisitionem alienam. Unde sapiens & intelligens tenetur eas confiteri absque inquisitione, simplex tenetur, si ab eo inquiratur. Alii dicunt, quod non tenemur ad Confessionem harum circumstantiarum tentione necessitatis, sed de bono & aequo, & quanto sunt magis sapientes & perfecti, tanto magis debent distinctius eas explicare; sed non tenemur ad hoc, nisi forte ex propria conscientia obligemur.*

Hanc positionem credo probabiliorē. Unde dicendum, quod Confessio circumstantiarum, in aliud genus (id est, speciem) trahentium, spectat ad Confessionem quantum ad necessitatem; Confessio vero aggravantium quantum ad congruitatem; Confessio vero alluvantium potius facit incongruitatem: & hoc intelligitur exceptis casibus praedictis. Omnes igitur rationes, probantes circumstantias esse confitendas, sunt congruitatis quantum ad aggravantes: alias si velint probare necessitatem, ab insufficienti procedunt, illa excepta, quae est de circumstantiis, trahente in aliud genus.

31. Doctorem Angelicum, & Seraphicum se-

quantur alii multi; tam Antiqui, quam Recentiores apud Dionam par. 1. tr. 7. resol. 1. Et hae sententia verè probabilis, ac rata in praxi, quam libenter amplector, eo quod alleviet onus Sacramenti Penitentiae, alioquin adhuc satis grave peccatoribus, qui sepe lapsius nequidem declarant circumstantias mutantes speciem, & numerum peccatorum; non oportet autem jugum Christi, quod ipse dixit suave, & onus Christi, quod ipse pronuntiavit leve Matth. 11. v. 30. *Iugum enim meum suave est, & onus meum leve*, non oportet, inquam, super illud aliquid addere, quod nec manifestè constat ex Scriptura sacra, nec ex natura institutionis Sacramenti, nec ex Definitione aliqua Pontificum, aut Conciliorum, nec ex recepta Traditione in Ecclesia: atque necessitas confitendi circumstantias solum notabiliter aggravantes intra eandem speciem, nec manifestè constat ex Scriptura sacra, nec ex natura institutionis Sacramenti &c. ergo non est superaddenda.

Minor probatur discurrendo per singulas partes. In primis non constat ex Scriptura sacra. Quae enim illa esset? Adversarii vulgare allegant, nec allegare possunt, nisi illam Joan. 20. *Quorum remissionis peccata &c.* quae id summum manifestè probat, necessitatem confitendi peccata in specie; ac sigillatim; imò nec hanc manifestè probat; quia non videtur, cur Christus non potuisset dare potestatem Apostolis absolvendi à peccatis solum in genere confessis; aut saltem in specie, est non sigillatim.

Nihilominus Ecclesia, edocta à Spiritu sancto, ex institutione Sacramenti Penitentiae, quae facta est illis verbis, semper intellexit, institutam & praecipuum fuisse à Christo Confessionem integram peccatorum in specie, ac sigillatim; ergo etiam ex eadem institutione semper intellexit, institutam & praecipuum à Christo Confessionem circumstantiarum; notabiliter aggravantium intra eandem speciem; negatur Consequens, nam si illis poenitens declarare potest omnia sua peccata in specie, & sigillatim; ergo nec ex Scriptura sacra, neque ex institutione Sacramenti manifestè constat necessitas hujusmodi Confessionis.

Sed nec ex Definitione aliqua Pontificum, vel Conciliorum; nulla quippe elator, quam definitio Concilii Trid. sess. 14. c. 5. & can. 7. quae tamen potius nobis favet, quam Adversariis, ut jam ostendo. Siquidem cum utrobique meminerit circumstantiarum, quae peccati speciem mutant; equidem nolumus vel verbulo tangit circumstantias, solum notabiliter aggravantes intra eandem speciem. Cur hoc, nisi quia iudicavit, has circumstantias non esse necessario confitendas? Alioquin non satis instruxisset fideles in rebus necessa-

30.
Non esse
confitendas
videtur feni-
tentia Divi
Thomae &
D. Bonaven.

33.
oblatio
satis

34.
Respondet
tu primo

35.

ris ad salutem, & tardidisset doctrinam planè mutilam & imperfectam; maximè cum leiret esse controversiam inter DD. de hac obligatione.

Dices cum Suario disp. 22. sect. 3. nu. 7. Concilium exprelsit, quod certum erat, & quod erat ad eò controversum inter graves Doctores, noluit definire: si tamen verba, & ratio ejus ponderentur, virtute comprehendunt has circumstantias. Priùs enim docuit peccata occulta esse confitenda, subdit hanc rationem: Quia plerumque gravius faciunt animum, & periculosiora sunt: quod nos dicere possumus de his circumstantiis, cum illis, quæ speciem mutant, comparatis.

Præterea agens Concilium de peccatorum omnium Confessione, ait: Cum aperta & verecunda eorum Confessione; non potest autem dici aperta Confessio gravissimi peccati, quando maxima ejus gravitas taceatur, & solum ut aliquid vulgare & commune dicitur. Quomodo potest etiam expendi verbum Concilii Florent. in Decreto Eugen. dicentis: Penitentem debere omnia integraliter confiteri; non potest autem dici aliquis integraliter confiteri aliq- quod peccatum, qui præcipuam ejus gravitatem non declarat. Hæc Suarius.

Sed contra primum; non dicitur à Concilio, Quia plerumque; sed, Quæ nonnunquam. Quis autem non videt differentiam inter illa verba? Nam ly Quia, est particula causalis, secus ly Quæ. Ergo Concilium ibi non subdit rationem, quare confitenda sint peccata occulta; sed; supposito præcepto confitendi omnia peccata in specie, ac sigillatim, ostendit, nullam esse rationem excipiendi peccata occulta, & tantum adversus duo ultima Decalogi præcepta commissa, quæ nonnunquam animum gravius faciunt, & periculosiora sunt eis, quæ in manifesto admittuntur, v. g. adulterium occultum furto, quod in manifesto admittitur; interna concupiscentia uxoris alienæ simplici fornicatione: cum enim illa peccata specie distinguantur, & internam atque occultum peccatum, gravius sit peccato manifesto atque externo; nulla omnino est ratio, quare potius unum sit declarandum in Confessione, quam aliud. Jam autem circumstantiæ, de quibus hic disputamus, estò aliquando gravius animum faciarent, & periculosiores essent iis circumstantiis, quæ mutant speciem; nihilominus sine ipsis declarari possunt omnia peccata mortalia in specie; ac sigillatim; cum ergo ex institutione Sacramenti tantum colligatur, omnia peccata mortalia in specie ac sigillatim esse confitenda, liquet profectò, non oportere à penitentibus has circumstantias in Confessione recenser; estò peccata occulta, & interna, specie distincta à peccatis manifestis, & externis, debeant recenser.

Ex quo patet responso ad alia verba Tri-

dentini, uti etiam ad verba Florentini; etenim Confessio est aperta, & verecunda ac integra, quæ declarat omnia peccata mortalia in specie, ac sigillatim; id est, speciem & numerum peccatorum. Et quamvis foret magis aperta & verecunda, atque integra, si ad amoussim explicaret gravitatem singulorum peccatorum, equidem non constat, saltem manifestè, talem apertionem, verecundiam, ac integritatem fore necessariam.

Transeat, inquis, quod ex illis præcisè verbis hæc necessitas non satis manifestè constet, saltem ratio Tridentini, quæ probat declaranda esse peccata in specie; ac sigillatim non potest eludi. Ratio autem est hæc: Constat Sacerdotes iudicium hoc incognitæ causæ exercere non potuisse, neque æquitatem quidem illos in penis injungendis servare potuisse. Et infra probat, circumstantias speciem mutantem esse confitendas; quod sine illis peccata ipsa neque à penitentibus integre exponantur, neque iudicibus innoteant, & fieri nequeat, ut de gravitate criminum rectè censere possint, & penam, quam oportet, pro illis penitentibus imponere. Quis non videt, has rationes æqualiter probare necessitatem confitendi circumstantias solum notabiliter aggravantes intrà eandem speciem?

Respondeo; ille non videt, qui videt in positivis non esse argumentandum à paritate, immo identitate rationis, nisi ad evitandum absurdum. Proinde estò Christus potuisset, his rationibus permotus; præcipere Confessionem harum circumstantiarum; equidem quod absurdum sequitur, si non præceperit? Nullum omnino.

Quin immo, reponis, maximum sequitur absurdum, videlicet, Sacerdotes; incognitæ causæ, exercere hoc iudicium, neque rectè censere de gravitate criminum, neque penam, quam oportet, pro illis penitentibus imponere. Et reverà quid magis absurdum, quam debere exprimi minimam gravitatem peccatorum, & maximam posse silentio regi?

Resp. sicuti necessitas hujus iudicii pendet à sola voluntate Christi, ita quoque necessitas cognitionis causæ, & impositionis Penitentia; ad eòque non alia requiritur cognitio causæ, aut alia æquitas in penis injungendis, quam Christus voluerit; voluit autem, ut cognoscerentur species, & numerus peccatorum, per consequens ut explicarentur circumstantiæ mutantem speciem, & numerum; voluit, ut servaretur æquitas in penis injungendis, secundum gravitatem peccatorum, non qualemcumque, sed specificam & numericam; quæ non est minima, sed prima in quocumque peccato, idque mortalis; de supponitur; quamvis aliunde fieri possit, ut unum peccatum hujus speciei, v. g. furtum mille florenorum, plùs excedat in malitia alterum peccatum ejusdem speciei, v. g. furtum unius floreni, quam hoc

Secunda responsio.

36. Obiectio defamata ex ratione Trident.

Solutio.

37. Obiectio ab absurdis, que sequuntur ex nostra sententia.

Responso.

hoc specie peccatum, v. g. furtum, excedat peccatum alterius speciei, v. g. fornicationem; & unum peccatum hujus speciei, gravius sit, quàm 100. peccata ejusdem speciei, v. g. unum furtum 1000. florenorum, quàm 100. furta unius floreni.

Ergo absurdum est & inconueniens, quòd debeant exprimi centum furta unius floreni, & non unicum furtum mille florenorum; quòd debeat exprimi peccatum fornicationis, & non furtum mille florenorum; quòd imponatur æqualis Pœnitentiæ pro furto mille florenorum, & pro furto unius floreni, & major Pœnitentiæ pro 100. furis unius floreni, quàm pro uno furto mille florenorum: negatur Conseq. quia certum est, perfectam & quasi mathematicam æqualitatem in pœnis injungendis non esse obseruandam; alioquin etiam circumstantiæ minuentes, & leuiter dumtaxat aggravantes, forent necessariò confitentia; quòd tamen omnes negant de circumstantiis leuiter aggravantibus, & plerique de circumstantiis minuentibus.

38. Cur ergo Christus non potuit rationabiliter velle, ut explicaretur species, & numerus peccati, cum impositione proportionata pœna, est, ne Sacramentum redderet nimis onerosum, & propter aliàs rationes, sibi soli cognitæ, nollet obligare ad expressionem circumstantiarum, notabiliter aggravantium intrà eandem speciem?

Sanè differentia, quas Suarius suprâ n. 16. assignat inter circumstantias minuentes, & aggravantes, videlicet, quòd aggravantes extrahat actum ab ordinario modo peccandi, non autem minuentes; item quòd aggravantes, si à pœnitente non explicantur, non possunt à iudice licitè cogitari aut existimari, quia faceret ei injuriam; minuentes autem, etiamsi non declarantur, possunt à iudice sine periculo cogitari, prout ex aliis conjecturis potuerit prudenter suspicari; hæc, inquam, differentia non subsistunt.

39. Quod probo; quia etiam minuentes possunt extrahere actum ab ordinario modo peccandi, v. g. si quis ex metu mortis fornicetur; quis enim Confessarius prudenter potest suspicari hanc circumstantiam, quando aliquis simpliciter confitetur fornicationem, quæ rarissimè solet committi ex tali metu, & ordinariè committitur ex concupiscentia?

Similiter rarissimum est, quòd quis furetur præcisè istam materiam, quæ necessaria est ad peccatum mortale; adeoque Sacerdos audiens peccatum mortale furti, non magis potest, aut debet suspicari furtum unius floreni, quàm decem; vel viginti florenorum; & potest sine iniustitia suspicari furtum viginti florenorum, nisi pœnitens explicet suum peccatum, quòd si non faciat, sibi imputet, quòd Confessarius habeat hujusmodi suspicio-

nem, & fortè majorem Pœnitentiæ imponat, quàm furtum, quòd à parte rei commisit, mereatur.

Igitur ex ratione Tridentini non satis manifestè deducitur obligatio confitendi circumstantias, notabiliter tantum aggravantes intrà eandem speciem. Alioquin cur Concilium non deduxit, sicuti expressis verbis deduxit obligationem confitendi circumstantias, quæ speciem mutant? An forte quia supponit illam satis omnibus notam? Profecò optime noverat controuersiam gravissimam inter DD. Catholicos de hoc puncto.

Dices cum Arriaga disp. 32. n. 8. hinc solùm ostenditur, eas rationes non urgere tam clarè, & tam certò in his circumstantiis, quàm in aliis, quòd sufficit, ut Concilium in unum definiat obligationem, in aliis præcedat. At per hoc nequaquam ostenditur, quòd infra limites summæ certitudinis (quæ ad fidem requiritur) non probent illæ rationes, ita ut reddant nostram sententiam probabilem, & probabiliorem contrariâ. Hæc ille.

Respon. me non negare, sententiam Arriagæ esse probabilem; at verò esse probabiliorem non video; immo nostram esse probabiliorem, vel ex hoc ipso videtur ostendi, quòd rationes Tridentini non tam clarè, & tam certò urgeant in his circumstantiis, quàm in aliis. Etenim; ut habet Reg. Jur. 15. de Reg. Jur. in 6. *Odia restringi. Et favores consenti amplius.* Et Reg. 30. *In obscuris minimum est sequendum.* Accedit Reg. 65. *In pari delicto vel causa, prior est conditio possidentis.* Et Reg. 57. *Contractus, qui legem dicere potuit apertius, est interpretatus faciendus.* Atqui lex Confessionis vulgò existimatur odiosa seu onerosa; & obscurum ac dubium est, an comprehendat circumstantias, notabiliter aggravantes intrà eandem speciem; neque ullus ambigit, quin Christus legem dicere potuerit apertius; ergo interpretatio est facienda in favorem libertatis, & restringenda lex Confessionis ad circumstantias, quæ apertè comprehenduntur verbis legis, puta circumstantias, quæ mutant speciem, cum sine notitia illarum non sciatur peccatum in specie.

Dices cum Arriaga suprâ n. 9. eodem modo, si non sciam illum furatum esse millionem, non scio peccatum in individuo, non solum in individuo physico, ut sic dicam, sed nec in morali. Nam nemo per illa verba: *Furtus sum rem gravem*, suspicatur, eam maximam pecunie summam significari.

Respondeo; profus non suspicatur, sed unde constat, quòd debeat suspicari? Quippe Tridentinum non aliud colligit ex institutione Sacramenti, quàm quòd debeat pœnitens declarare peccata sua in specie, ac sigillatim, hoc est, speciem, & numerum peccatorum, sine omnia, & singula peccata mortalia. Hoc autem facit dicendo: *Secundo juratus sum rem gra-*

Potuit Christus abique ulla inconuenienti velle, ut explicaretur species & numerus peccatorum, est non circumstantias aggravantes.

Circumstantia minuens potest extrahere actum ab ordinario modo peccandi.

ven. Porro quod Sacerdos debeat scire peccatum in individuo sive physico, sive etiam morali, ex quo clarè deducitur?

Ex eo, inquit, quod penitens debeat confiteri peccatum, quod fecit, saltem in confesso, jam autem dicendo: *Furatus sum rem gravem*, ne quidem in confesso confitetur furtum millionis, quod tamen fecit. Veluti, qui centum homines unico actu occidisset; v. g. accendendo pulveres, & omnes illos centum excutiendo in aëra, profectò non satisfaceret, nec satis explicaret peccatum suum in specie, & sigillatim, dicendo: *Feci homicidium*, vel *Fui homicida*, vel *Fui homicida*; idque, quia nequidem in confesso explicat peccatum, quod fecit, sed aliud etiam moraliter.

Resp. qui dicit: *Furatus sum rem gravem*, estò fuerit furatus millionem, equidem declarat peccatum, quod fecit, quia millio. res gravis est; declarat, inquam, secundum speciem, & quidditatem, quamvis non secundum omnem rationem individualement, & ita nullum peccatum manet, quod non explicetur, cum sit solum unicum peccatum.

Ex quo patet responsio ad simile; nam illa accensio pulveris; licet physice & formaliter sit unicus actus, virtualiter tamen est multiplex; & continet tot malitias numero distinctas, quot distincti homines illo unico actu occiduntur, adedque non est unicum peccatum, sed multiplex; illa autem multiplicitas non significatur, nequidem in confesso per *ly Fui homicidium*. Neque per *ly Feci homicidium*, aut *Fui homicida*, significatur certus numerus homicidiorum; cum tamen numerus, ut suppono, certus sit, & de illo certò constet penitenti; ac proinde tanquam certus explicari debeat secundum omnes.

Cur autem in hoc casu sint plura moraliter homicidia potius; quam in casu furti unius millionis plura moraliter furta, ratio est; quia in communi acceptione hominum (in qua sumus, dum investigamus, an dicatur unum, an duo peccata) unus homo cum altero non facit unum moraliter loquendo, sed quilibet censetur disparatus respectu alterius; at verò una pecunia cum altera facit unum quid; seu unam summam, argumento Legis 78. ff. de Solutio- nibus, quae sic habet: *Si alieni nummi inscio, vel invito domino soluti sunt, manent eius, cuius fuerunt; si mixti essent, ita ut discerni non possent, eius fieri, qui accepit, in libris Gaii scriptum est, ita ut ad id domino, cum eo, qui dedisset, furti com- peteret.*

Ergo ex nummis alienis & propriis, saltem dum mixti sunt, ita ut discerni non possint, fit unica aliqua summa, spectans ad dominium ejus, qui accepit nummos alienos, & propriis miscuit; nullo autem casu ex pluribus hominibus, qui occiduntur, componitur unus homo; & ideo occisio plurium hominum semper cen-

setur multiplex occisio, furtum autem unius millionis moraliter reputatur unum furtum, & unum peccatum.

Proinde si vel unum amplius hominem occidi, teneor id declarare: si autem furatus sum duos florenos, quamvis Aliqui existiment etiam illum excessum esse declarandum, si in furto materia gravis sit unus florenus; Suario tamen videtur hoc valde rigorosum, de quo infra latius. Quae autem ratio disparitatis, nisi quod illa homicidia non faciant moraliter unum quid; furtum autem istud reputetur moraliter unum?

Si inferas, ergo si quis furaretur millionem, qui pertineret ad diversos dominos, saltem tunc non satisfaceret dicendo: *Furatus sum materiam gravem*, sed deberet dicere, fuisse plurimum dominorum, & explicare numerum eorum, quantum possibile est.

Resp. I. con- totum; si reverà pertinebat ad plures dominos quae tales, id est, sine ulla connexionè illorum in iure, ut si quilibet in eodem loco possidisset 1000. florenos; alioquin si considerentur per modum unius, v. g. plures haeredes ad eandem hereditatem, sicut unicum est jus residens pro indiviso in omnibus, ita erit unicum damnum, quod omnibus infertur, per consequens unicum peccatum.

Consimiliter Capitulum, seu Civitas, aut similis Communitas habet jus eligendi, nominandi, contrahendi &c. injustè impeditur; licet tunc haec injuria tangat quodammodo singula Capituli membra, quae multa sunt; damnum tamen est unicum; & unicum jus laesum propriè & per se loquendo, scilicet jus Communitatis, & ideo unicum peccatum.

Secunda responsio est Arriaga disp. 32. n. 14. Melius, inquit, dicitur, pro malitia furti non considerari, nisi quantitatem rei ablatae; quod autem ab hac, vel ab illa persona, esse per accidens; nisi speciale indè, & grave alicui ex illis nocumentum proveniat, de quo tunc non agimus; ac proinde in genere moris idem esse, sive uni, sive duobus auferatur, nec esse necessum dicere, unam aut duas aut tres fuisse eas personas, à quibus furatus sum. Non ita in homicidio; quia hoc respectu ejusdem personae non habet propriè magis & minus; ideoque non potest in ipso considerari major aut minor summa; sed quod unum sit moraliter distinctam ab altero; & ideo ut tale explicandum in Confessione. Hæc ille.

Consequenter, Sacerdos, projiciens Brevarium in mare, explicare debet necessariò, quam putaverat futuram diuturnam navigationem; quia recitationes diversorum dierum non uniantur inter se, ut faciant unum quid; etenim obligatio recitandi divinum Officium unà die, est planè independens per se ab obligatione alterius diei. Item qui directè suadet

44. Quid si alius quis furaretur milio. nem, pertinetem ad diversos Dominos? Prima responsio.

45. Secunda responsio. Arriaga.

46. Hinc ad Arriaga.

aut mandat diversis, ut furentur, vel occidant, obligatur explicare numerum hominum, quibus iussit, aut mandavit furtum, vel homicidium: siquidem illa furta, vel homicidia non ununtur inter se, ut faciant unum quid, sed manent semper moraliter distincta.

46. Numquid idem dicendum de illo, qui unico actu infamavit plures personas, quæ plures sunt? Videtur quod non; quia detractio respectu ejusdem personæ habet propriè magis, & minus, eo modo quo furtum; ergo si pro malitia furti non consideratur, nisi quantitas rei ablata, non autem diversitas personarum; quidni similiter pro malitia detractio- nis considerari debeat sola quantitas famæ ablata, & non diversitas personarum? Vellem audire claram disparitatem.

Interim aliqua disparitas est; quod in communi acceptione hominum, fama unius hominis, non faciat unam aliquam famam, cum fama alterius hominis quæ talis; sicut bene pecunia unius hominis, facit unam aliquam summam, cum pecunia alterius, etiam quæ talis. Ratio quia pecunia est res aliqua externa, cui planè accidentale est; quod sit hujus, vel illius personæ; at verò fama est bona existimatio de moribus, & vita hujus, aut illius personæ; adeoque per se respicit determinatam personam, in tantum, ut nunquam ab una persona transferatur in aliam. Porro pecuniæ, & alia bona externa, quæ sunt materia furti, quis nesciat ab una persona transferri in aliam? Ergo per accidens planè est, quod hæc summa pecuniæ ad unum dominum, vel ad plures pertineat; fama autem plurimum personarum, essentialiter & per se respicit plures personas.

Cui hæc disparitas non satisfacit, dicat cum aliis Doctoribus, numerum personarum, quas aliquis uno actu infamavit, non esse explicandum, ut nec numerum personarum, quas aliquis uno actu occidit, percussit, aut aliâ injuriâ affectit, vel afficere desideravit; supposito, quod unicuique ille actus non contrahat plures numero malitias, sed unam tantum gravio- rem; sicut odium intentum ad octo gradus, ex illa intentione non contrahit octo numero malitias, sed unam gravio- rem; & ideo in nostra sententia satisfacit, qui confitetur se habuisse odium mortale; hic enim explicat speciem, & numerum peccati, quod fecit; eo modo, quo Christus instituit.

47. Si inferas; ergo etiam satisfaceret, si confiteretur se habuisse odium mortale ad sex, et si fuisset ad octo, similiter qui confiteretur se furatum 10; florenos, cum fuerint 100. Respondent communiter DD. neg. Conseq. quia in hoc casu non declararet pœnitens peccatum, quod fecit; sed aliud, etiam moraliter distinctum, quod non fecit.

Sed contra; qui furatus est centum flore-

nos, etiam furatus est 10. & qui habuit odium ad 8. etiam habuit odium ad 6; & quævis unum peccatum, sit gravius altero, illam tamen gravitatem, ut suppono, non tenetur declarare, ergo in tali casu pœnitens declararet totam malitiam, quam tenetur declarare ex institutione Christi, id est, malitiam mortalem furti, & malitiam mortalem odii.

Planè, inquis, declararet, sed non integrè; cum odium ad 8. & furtum 100. confusè quidem significantur per odium ad sex, & furtum 10. Qui autem simpliciter exprimit odium, vel furtum grave, explicat individuum peccatum odii, vel furti, quod commisit, saltem confusè, quatenus odium ad 8. vel furtum 100. continentur sub latitudine odii, & furti gravis.

Contra; qui explicat odium ad 6. & furtum 10, explicat odium & furtum grave, sed qui explicat odium & furtum grave, confusè explicat odium ad 8. & furtum 100. ergo qui explicat odium ad 6. & furtum 10, confusè explicat odium ad 8. & furtum 100. florenorum quatenus continentur sub latitudine odii, & furti gravis.

Respondeo cum distinctione Majoris & Minoris: qui explicat odium ad 6. & furtum 10, explicat odium, & furtum grave in genere & indeterminatum; nego, in individuo & determinatum; concedo Majorem; sed qui explicat odium & furtum grave in genere & indeterminatum, confusè explicat odium ad 8. & furtum 100. concedo Minorem; qui explicat odium, & furtum grave in individuo & determinatum, confusè explicat odium ad 8. & furtum 100. nego Minorem: ergo qui explicat odium ad 6. & furtum 10. florenorum, confusè explicat odium ad 8. & furtum 100. florenorum; nego Consequentiam.

Ratio est clara; quia dum dico: *Furatus sum rem gravem*, non determinando aliquam quantitatem, vel, *Habui odium mortale*, non determinando aliquem gradum, liberum relinquitur Confessario iudicium de quantitate rei, & numero graduum; & potest suspicari sine injuria pœnitentis 100. florenos; & octo gradus, potest interrogare, si velit, de quantitate & numero graduum; & consequenter potest imponere Pœnitentiam majorem, quam si forte imponeret, si pœnitens ipse quantitatem & numerum determinaret. At verò cum dico, *Fui furatus 10. florenos; Habui odium ad 6.* non sine injuria pœnitentis potest suspicari imponere Pœnitentiam, nisi præcisè proportionatam furto 10. & odio ad 6. ergo nequaquam confusè explicatur furtum 100. & odium ad 8.

Nec valet replicæ: explicatur furtum 100. specificativè, id est, istud furtum, quod fuit 100. florenorum, est non reduplicativè, id est,

46. Quid dicendum de eo qui uno actu infamavit plures personas?

Disparitas aliqua inter famam & pecuniam.

DOSSIC

47. An satisfactorius, qui confitetur odium ad sex quando fuit ad 8.

est, quatenus 100. florenorum; non valet, inquam, hæc replica; quia furtum commissum, quod debet declarari in Confessione, fuit furtum 100. florenorum, non tantum specificativè, sed etiam reduplicativè, sive quò tale; ergo nisi explicetur reduplicativè, sive quò tale, non explicatur illud, quod commissum fuit, sed aliud. Præsertim cum illa verba: *Furtus sui decem florenis*, à Multis intelligantur, ut exclusiva ulterioris summæ, quidquid sit de rigorosa significatione. Hoc audeo dicere; si illa verba: *Furtus sui decem*, sufficienter declarant furtum 100. florenorum; etiam hæc verba: *Furtus sui 100.* sufficienter declarant furtum 10. florenorum, ut Absolutio sacramentalis valeat.

Si ergo Confessarius te interrogaverit de circumstantiis solum aggravantibus, cavebis diligenter, ne unum peccatum determinatum exprimas pro alio, levius pro graviore, aut gravius pro leviore; sed consulo, ut exprimas illud, quod à parte rei commissum fuit, v. g. furtum 10. aut 100. aut certè indeterminatè loquaris, tantum exprimendo materiam gravem in confuso, absque determinatione aliquis materiam in particulari.

Existimat Lugo disp. 16. n. 120. penitentem interrogatum à Confessario de circumstantiis aggravantibus, teneri eas fateri. Sed hæc opinio caret solido fundamento, cum Tridentinum non aliam agnoscat obligationem, quàm deferendi; declarandi, recensendi peccata, etiam spontè; ergo si spontè non tenetur penitens deferre, declarare, recensere circumstantias solum aggravantes, neque tenebitur interrogatus. Nisi fortè declaratio huiusmodi circumstantiæ, necessaria foret ad explicandam speciem, aut numerum peccatorum, vel ad cognoscendam dispositionem penitentis, quod est per accidens. Unde; per se loquendo, penitens sufficienter instructus, qui alioquin satis sit quæ, & qualiter confiteri debeat, Confessario interroganti circumstantiam aggravantem, respondere possit, explici totum, quod debui. Ita docet Herincx part 4. tract. 4. disp. 3. n. 37. & ante ipsum Arriaga disp. 32. n. 16.

Nec video quid possit objici, nisi quod ait Lugo supra: Si aliquando oportet majorem æqualitatem (in imponenda Penitentia) servare, tunc potest, & debet Confessarius interrogare de circumstantiis aggravantibus, ad quod habet jus, & penitens debet respondere & fateri, quod interrogatur. Hæc ille.

Sed est petitio principii; nam quæritur, an debeat imponi Penitentia proportionata gravitati peccatorum undecumque provenientes; an verò sufficiat imponere proportionatam malitiæ specificæ, & numericæ. Et sanè quod non semper debeat servari exacta æqualitas in imponenda Penitentia, sed aliquando sufficiat

proportio specifica & numerica, ut sic loquar, ibidem concedit Eminent. Unde ergo conllat, quod non semper sufficiat, sed aliquando major debeat servari? Atque admissio, quod aliquando oportet majorem æqualitatem servare, cur Ecclesia non determinat illas circumstantias aggravantes? Et dicam ego, quod penitens debeat eas explicare, non solum interrogatus, sed etiam spontè.

Circumstantiæ (inquit Cardinalis supra) non mutant speciem, non semper deserviunt ad variandum iudicium circa Penitentiam imponendam, sicut deservit cognitio malitiæ specificæ; raro enim variabitur propter majorem intensionem, aut durationem actûs; quando autem duratio fuisset diuturna, explicanda erit propter numerum peccatorum, quæ in illa diuturna duratione possent intervenire. Hæc ille.

Et prosequitur n. 121. Quantitas verò furti; quæ possit variare illud iudicium, potest inquiri à Confessario, quando oportuerit, nec propterea debet fieri regula generalis explicandi omnes circumstantias.

Secundò, potuit hoc discrimen provenire ex difficultate maxima, quæ esset in explicandis his omnibus circumstantiis. Nam licet una, vel altera possit explicari, aliæ ferè omnes difficillimè explicarentur. Lex autem universalis debet attendere ad eà, quæ frequenter contingunt, non ad unum, vel alterum casum.

Tertiò denique, quia in iis casibus, in quibus circumstantiæ ejusmodi possunt facile explicari, & eorum notitia necessaria est ad iudicium debitè exercendum, possunt facile inquisitione Confessarii indagari, qui cognita jam specie peccati, potest scire, an sit talis species, in qua oporteat ulterius procedi ad cognoscendam circumstantiam individualem, prout sæpè oportet facere in peccato furti, & tunc debet interrogare; quod jus, datum Confessario, sufficit ad convenientem institutionem hujus iudicii, in quo id, quod ex se manifestat penitens, nempe species peccati, dat occasionem Confessario interrogandi id, quod restat; quando in aliquo casu oportet illud scire ad Penitentiam, vel ad restitutionem, vel ad medicinam, vel ad alios fines.

Si autem species non manifestaretur, non haberet unde sciret Sacerdos, an in hoc casu de circumstantiis deberet interrogare. Immo semper deberet interrogare speciem; id autem quod semper debet inquiri, debet etiam penitens per se manifestare. Hucusque Lugo, volens reddere rationem, cur Christus voluerit obligare penitentem ad explicandas species peccatorum immediatè & proximè; ad explicandas verò circumstantias aggravantes mediatè solum & remotè, scilicet dando jus Confessario interrogandi quando expedierit.

Sed probatum oportuit, non suppositum illud

§ 2. Circumstantiæ, non mutant speciem, non semper deserviunt ad variandum iudicium circa Penitentiam.

Quando deserviunt putat Lugo Confessarium habere jus in interrogandi.

§ 3.

M m m

abuit odium & quamvis o, illam tamen non tenetur declarare odium mortali. non integre; ne confusè ad sex, & ter exprimitur quod comodium ad 8. tudine odii, ad 6. & furtum grave, sed ve, confusè eo, ergo qui 10. confusè eo. floren. tudine odii, Majoris & 6. & furtum grave in individuo rem; sed qui in genere & ad odium ad 10. floren. 8. & furtum entiam. Furtus sum quam quam non deter- am relinquitate rei, & carl sine in- & octo gra- e quantitate nenter potest quàm in forte antiam & d cum dico, odium ad 6. est suspicari c potest im- proportio- ro nequidem & odium furtum 100. quod fuit applicativè, id est,

Sed hoc jus non sufficienter probatur.

illud jus Confessarii. Haud renuo, Christum potuisse concedere tale jus, sed ex quo constat concessisse? Nam etiam potuit non concedere, sed solum velle pœnitentem obligare ad explicandas species peccatorum. Atque hoc solum voluisse, nos colligimus ex Concilio Tridentino, quod meminit obligationis confitendi species peccatorum, secus illius juris; ergo gratis illud jus asseritur.

Igitur meo iudicio (salvo meliori) vel sponte pœnitens tenetur explicare circumstantias notabiliter graves, ut est probabilis Multorum opinio. Non tenetur eas explicare ad interrogantem Confessarii.

54. Quæ sit circumstantia notabiliter aggravans.

Dico, Notabiliter aggravantes; quia nullus docet, neque probabile est, quamlibet circumstantiam aggravantem fore declarandam. Quæ autem sit notabiliter aggravans, non est concors illorum Auctorum sententia. Aliqui putant eam esse, quæ duplicat materiam; si v. g. materia sufficiens ad peccatum mortale furti sit florenus, qui furatur duos, tenetur id explicare; secus, si tantum unum cum medio. Ratio esse potest: quia jam tale peccatum æquivalet duobus mortalibus. Hæc regula, inquit Suarez disp. 22. sect. 3. n. 17. quantum ad partem negantem videtur mihi certa, quantum ad affirmantem videtur rigorosa valde; & licet in circumstantia, pertinente ad quantitatem materiam, possit facile ad usum applicari, in aliis vix potest, ut patet in intensioe actûs.

Sententia Suarii.

Hinc præfatus Auctor probabilius censet, non posse hoc certâ regulâ definiti, sed prudenti arbitrio esse relinquendum, & præcipuum testem hujus gravitatis esse conscientiam ipsius peccantis: nam quando hæc accusat, quod exsuperit ordinarium modum peccandi, & recognoscit in actu notabilem gravitatem, & deformitatem, tunc signum etiam est, talem circumstantiam multum referre ad morale iudicium, in quo etiam intervenire debet iudicium Confessoris. Hæc ille.

55. Sententia Arriagæ.

At verò Arriaga, est pars affirmans, quæ Suario videbatur valde rigorosa, ipsi potius videatur in praxi suavis; equidem disput. 32. n. 18. dicit: Si materia furti gravis infima est florenus, videri satis probabile, si quis furetur quinque, debere jam obligari ad id dicendum, & consequenter à fortiori, si quinque & medium &c. quia licet ille medius non aggravet notabiliter, aggravat tamen simul cum aliis respectu unius floreni, quem supponimus esse materiam, super quam cadit aggravatio, & respectu cuius reliquæ omnes summæ superiores semper sunt aggravantes, & quod magis eis summis additur, redduntur magis aggravantes, ideoque semper omnes illæ debent explicari.

Nec video (prosequitur præfatus Auctor) eum Suarez dicat, totum hoc relinquendum conscientie pœnitentis, ut quando ille iudicet se notabiliter excessisse modum ordinarium

peccandi, tunc teneatur id explicare; miror, inquam, hæc dici, cum modus ordinarius peccandi pro præfenti materia sit ille, qui præcisè sufficit ad mortale, v. g. florenus in furto; ad sciendum autem, quæ quantitas, addita floreno, notabiliter excedat florenum, non est necessaria ullo modo conscientia pœnitentis, ut per se patet; sed hoc à non peccantibus potest decidi tam bene, quam à peccantibus. Mihi sane valde probabile videtur, quod dixi, quinque florenos, alius fortè dicit solos quatuor, augere notabiliter eam materiam; & tunc jam habetur pro reliquo superiori augmento regula generalis. Huculque Arriaga.

Quantum ad intensioem actûs, respondet Arriaga supra, vix unquam esse obligationem, illum manifestandi, quia nobis est valde incognita; illud tantum, inquit, possumus asserere cum Suario, de ea vehementia affectûs, & valde extraordinaria, quæ debet iudicari notabiliter aggravans, neminè melius posse decernere, quam ipsum pœnitentem. In duratione facilior res est, quia clarè potest dignosci; in ea autem, si quis uno quadrante perseveraret in volitione peccaminosa, non dubitarem illud debere explicari; à fortiori autem si diutius. Hæc ille.

Dico ego, cum hæc res adeò sit incerta, nam alius fortè dicit, solos tres florenos notabiliter augere, alius requirit 8, alius 10. alius forsitan dicit, sufficere perseverantiam mediæ quadrantis, alius requirit mediâ horam &c. Cumque ex Tridentino habet certè constet, circumstantias solum aggravantes esse confitendas, dico ego, multum probabile esse, nullas circumstantias solum aggravantes esse confitendas, ut tantò levius & certius sit onus confitendi, quod adhuc satis grave videtur multis hominibus; non satis attendentibus commoda & consolationes, quæ omnibus dignè ad hoc Sacramento accedentibus, per Absolutionem certissimè conferuntur, teste Trident. sess. 14. c. 5. satis, inquam, grave apparet huiusmodi hominibus, & omnibus hominibus valde est incertum, etsi dicamus solas circumstantias, speciem, aut numerum mutantes, esse confitendas. Quod satis grave appareat multis hominibus, nemo est qui dubitet, & probat quotidiana experientia; quod valde incertum sit omnibus, patet ex his, quæ suo loco dicentur de circumstantiis mutantibus speciem, & numerum.

Dices; Canones pœnitentiales, qui habentur in fine Decreti, imponunt diversas Pœnitentias pro gravitate majori, aut minori intè eandem speciem; ergo illa est exprimens in Confessione.

Resp. neg. Conseq. nam olim hoc practicabatur, non quasi esset de necessitate Sacramenti, sed ut, fervente adhuc Charitate, peccatûs ageretur Pœnitentia. Unde inventus in Decreto Burchardi Episcopi Vormatiensis lib. 19.

lib. 19. c. 5. impositum jejuniis 10. dierum in pane & aqua ei, qui accesserit ad propriam uxorem, postquam constat eam concepisse, quod ad summum est peccatum veniale, addeque non necessariò confitendum.

Eodem modo respondeo ad locum D. Augustini (si ipse est, quod Multi negant) l. 2. de Visitat. Infirmorum c. 5. ibi: Designanda sunt, in quibus peccasti, loca, si recordaris & tempora, cum quibus peccasti personis, non nomina ipsarum, etiam ut à peccato desistant secretò corrigenda familiaritas, in qua peccasti labilis etas, quo gradu iam Ecclesia inserviebas, utrum semel, an ex consuetudine, utrum necessitate, an ex voluntate cecidisti. His enim omnibus sua instant iudicia: si enim in iudiciis secularibus à locis loca discernuntur, alià censurà vindicatur homicidium in Regis curia, alià in via publica, alià in agresti villa: aliquando pro tempore temporibus ignoscitur insanie, deservit aliquando senectuti; que medià deservet etas, severa colubetur badena. In solemnibus precipue natalitius perpetrata feroci plectuntur exterminio facinorosa, sic cetera quanto districtioribus eliminanda sunt animadversioibus, in locis Deo sacratiss, in temporibus festis Deo delegatis, in discretiori, in personis propriè Deo delegatis, in gradibus commissis sublimioribus: nonne cui plus committitur, plus ab eo exigitur? Nonne minus est hominem occidisse, quam homines? Nonne levius est semel deliquisse, quam centies? Nonne celerorem consequitur veniam ex necessitate cecidisse, quam ex voluntate? Et quamvis ubicunque peccetur, peccatum semper sit peccatum, & nullum tempus, nulla etas, nulla persona, nullus locus muniat peccantem à peccato; tamen hæc omnia modo suo discutienda sunt, quoniam hæc omnia corrigenda & corrigenda sunt. Hæc autem omnia si taceantur, vel dicta calidè pallentur, animam iugulant. Hæc Augustinus, vel quisquis est Auctor istius libri.

Exhortans utique fideles, tam ad id, quod necessarium est, quam quod perfectius est. Nam aliqua enumerat, quæ sunt de necessitate Sacramenti; alia autem, quæ solum sunt de consilio; etiam secundum illos, qui docent circumstantias notabiliter aggravantes esse necessariò explicandas. Unde dicit: Hæc omnia modo suo discutenda sunt, quedam videlicet inquam omnino necessaria; alia autem tamquam conducentia ad perfectiorem Penitentiam. Deinde concludit: Hæc omnia si taceantur, omnia, inquam, collectivè, procul dubio animam iugulant.

Similiter loquitur, & consimilem patitur interpretationem Auctor lib. de vera & falsa Penit. (apud August. tom. 4.) c. 14. Consideret, inquit, qualitatem criminis in loco, in tempore, in perseverantia, in varietate persona, & quali hoc fecerit tentatione, & in ipsius viri multiplici executione. Oportet enim ponere fornicantem secundum excellentiam sui status, aut officii, & se-

cundum modum meretricis, & secundum modum operis sui, & qualiter turpitudinem suam peregit, si in loco sacro, aut cui debuit excellentiam fidei, ut sunt domus Dominorum, & aliorum multorum, si in tempore orationis constituto, aut in festivitate Sanctorum, & in tempore ieiunii. Consideret quantum perseveraverit, & desinat quod perseveranter peccaverit, & quantum vitium fuerit impugnatione &c. Omnis ista varietas consideranda est & deservenda, ut cum cognoverit, quod peccatum est multum, cito inveniat Deum propitium.

Quis non videt, hic enumerari circumstantias, quæ, secundum omnes Auctores, non sunt de necessitate Sacramenti, scilicet, tempus orationis, tempus jejunii, domus Dominorum &c. Igitur exhortatio est ad perfectam Penitentiam, non ad illam, quæ omnino est necessaria ad ritè suscipiendum Sacramentum.

Si infles; fieri potest, ut ratione circumstantiæ, notabiliter aggravantis, sit peccato annexa reservatio, aut censura; ergo saltem tunc erit obligatio exprimendi eam in Confessione.

Resp. I. Erit obligatio metè per accidens, de qua non loquitur. Conclusio. Patet; quia reservatio, vel censura interdum apponitur peccato ratione circumstantiæ, non notabiliter aggravantis, v. g. in Bulla Cæne sub Urbano VIII. a. 1627. excommunicantur omnes & singuli, qui Christianorum quorumcumque navibus tempestate, seu in transversum (ut dici solet) iactatis, vel quoquo modo naufragium passis, sive in ipsis navibus, sive ex eisdem ejecta in mari, vel in litore inventa cuiuscumque generis bona furruperint; est alioquin ex hoc capite non oriatur notabilis aggravatio peccati.

Tunc autem (inquit Averia q. 10. sect. 8. §. Quarto ergo.) tenetur penitens explicare talem circumstantiam, non solum ut Confessarius videat, an eum absolvere possit, sed etiam si confiteatur apud eundem Prælatum, vel quemcumque habentem facultatem absolvendi; quia hæc ipsam vim habet reservatio & excommunicatio, ut debeat in Confessione manifestari. Hæc ille. Sed absque aliqua probatione, & ideo non audiendus. Hinc

Resp. II. etiam tunc sufficeret confiteri; Commisi furtum mortale reservatum cum censura, non exprimendo circumstantiam, in particulari, propter quam reservatio cum censura est imposita. Immo, secundum Aliquos, satis faceret confitendo habenti potestatem in reservata, quem certò scit solere præmittere Absolutionem à censuris; confitendo, inquam, simpliciter furtum tamquam grave, petendo saltem Absolutionem ab omni censura. Ita Herincx supra n. 38. Confiteretur namque habenti potestatem, quidquid iure divino debet; non enim debet dicere; peccatum est reservatum, cum tali non sit reservatum. Idem docet Dicastillo disp. 9. n. 293.

M m m m Sed

60. Instans.

Prima responsio.

61. Instans.

62. Instans.

63. Instans.

64. Instans.

62.
Objectio.
Solutio.

Sed contrâ, dicit Aliquis: potest fieri; quod Prælati præscripserit certam Pœnitentiâ imponendam pro peccato reservato. Respondeo; etiam fieri potest quod non præscripserit, & dato casu, quod præscripserit, & ad illam limitasset potestatem absolvendi, obligatio tunc exprimens reservationem foret merè per accidens, eodem modo, quo illa præscriptio & limitatio, de qua obligatione, sicut antè dixi, non loquitur Conclusio.

Igitur, ut finem imponamus huic Conclusioni, verissimè ac doctissimè dixit Scotus 4. dist. 17. nu. 20. *Multa sunt circumstantiæ, ex quibus peccatum est aliquo modo gravius & hoc vel ex parte obiecti, vel ex parte persone peccantis, de quibus non est ita certum, quod oporteat illas confiteri; sicut certum est, quod oporteat confiteri circumstantiâs, mutantes speciem & numerum, de quibus in particulari sect. 10. & 11. Nunc pergo ad illa, quæ sunt magis propria huic loco, & dico:*

CONCLUSIO III.

Omnia & singula peccata mortalia dubia oportet confiteri. Stricta obligatio nec ex Tridentino, nec aliunde, nisi forte ex praxi, convincitur.

63.
Dubium aliud de substantiâ, aliud de qualitate; aliud negativum, aliud positivum.

Dubium aliud est de substantiâ actûs, aliud de sola qualitate. Aliud positivum, aliud negativum. Dubitat de substantiâ actûs, qui dubitat v. g. an commiserit homicidium; dubitat autem de sola qualitate, qui sciens se commisisse homicidium, dubitat an deliberatè. Atque in hac explicatione omnes conveniunt. Dissentiunt porrò in specificando, seu explicando dubio positivo, & negativo.

Quid sit dubium positivum, & negativum secundum Lugonem.

Secundum Lugonem disp. 16. n. 58. Dubium positivum est, quando aliquis habet rationes, vel motiva probabilia ad credendum; se fecisse tale peccatum, & ad credendum etiam oppositum, vel certè habet saltem rationes probabiles ad credendum unam partem; licet ad aliam non habeat. Dubium negativum contingit, quando non habet rationes ad probabilem assensum hujus vel illius partis, prout se habet homo ad hanc propositionem: *Sidera sunt parva*; ad quam concedendam, vel negandam non habet argumentum positivum. Ita Lugo.

de Præpositum.

Præpositus in 3. part. de Sacram. Pœnitentiæ, q. 5. n. 113. sic scribit: Notandum hominem propriè dici dubitare, quando fluctuat, nec potest in alterutram partem determinatum judicium formare, quod interdum accidit, quia in neutram partem suppetit ratio, inter-

dum verò contingit, quia utrimque apparent rationes probabiles.

Sed neutra explicatio placet Caramueli lib. 3. Theol. moralis disp. 4. n. 1479. ubi sic ait: Notandum est, bene dubium à probabilitate distingui à Sanchez lib. 1. in Præcepta c. 10. malè autem à Lugo de Pœnitentiâ, disp. 16. sect. 2. §. 3. dubium positivum cum probabilitate confundi. Et relatis verbis Præpositi subjungit: displicet illud verbum ultimum, quia si utrimque probabiles rationes suppetant, non est dicendus habere conscientiam dubiam; sed probabilem.

Ipsè autem n. 1480. Dubiam, inquit, conscientiam definimus; ratione gravi destitutam; & in dubiam positivè, & in dubiam negativè distinguiamus. Conscientia positivè dubia illa est, quæ caret gravi, habet tamen unam vel alteram rationem levem: at dubiam negativè, illa, quæ non solum caret ratione gravi, sed & levi. Hæc Caramuel.

Verùm cum institutio vocum sit auctoritatis humanæ, & ab Aliquibus hæc vox, *Dubium positivum*, usurpetur ad significandam probabilitatem, non est omnino rejicienda explicatio Lugonis & Præpositi; neque plurius disputandum de nomine, quando constat de re.

Quæstio ergo prima est, an qui probabiliter judicat se commisisse homicidium, & etiam probabiliter judicat se non commisisse; similiter qui certus se commisisse, probabiliter judicat se deliberatè commisisse, & etiam probabiliter judicat se non deliberatè commisisse, teneatur confiteri se commisisse homicidium?

Satis communis sententia negat obligationem (est consultum sit confiteri) nam unusquisque potest sequi judicium prudens. Stante autem utrimque æquali probabilitate peccati mortalis, & non peccati mortalis, unumquodque prudenter judicat, se non obligari ad Confessionem, argum. Reg. Juris 65. de Reg. Jur. in 6. *In pari delicto vel causa, potior est conditio possidentis.*

Dubitas quis hic sit possidens? Respi. tunc lex Confessionis possidet, quando verò constat, me aliquando fuisse obligatum istâ lege, & dubitatur, vel probabile est, quod non satisfecerim legi; tunc autem ego possideo meam libertatem ab onere confitendi, quando dubitatur, aut probabiliter judicatur, me nunquam fuisse comprehensum tali lege; jam autem quando dubitatur, an ego peccaverim mortaliter, vel probabiliter judicatur, me non peccasse mortaliter, dubitatur, vel probabiliter judicatur, me nunquam fuisse comprehensum lege Confessionis, ergo ego sum in possessione, & non lex Confessionis. Unde in tali casu non tantum est probabile, me non obligari ad Confessionem, sed etiam moraliter certum; quamvis solidum probabile sit, me